



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 9. Scientia sit practica: fac, quæ scis, bona, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Vobis datum est, nōsse mysteria regni cælorum. Matth. 13. 11. Sed cur Apostolis præturba? Theophylactus: ille accipit, qui quærit: ideoque Discipuli soli, quæ interrogaverant, acceperunt. Mendoza in 1. Reg. 3. 17. Sect. 2.

Quis putas, major est in regno cælorum? Matth. 18. 1. Et Petrus de Joanne interrogat, Joan. 21. 21. *Domine, hic autem quid?* Et ipse Joannes ib. v. 20. *Domine, quis est, qui tradet te?* in hac autem occasione nullus audent interrogare. Quare? respondet S. Chrysost. hom. 32. quoniam illic res sua agebatur, ideo necessario percunctati sunt: hæc autem res nihil ad eos pertinebat. Sylveira in Joan. 4. q. 36.

Sedens super currum suum, legensq. Isaiam Prophetam. Act. 8. 28. Tantus amator Legis, divinæque scientiæ fuit; ut etiam in vehiculo legeret literas sacras. S. Hieron. ep. 103.

Nihil ex eo amplius requirendum; quàm ut quis ejus noverit voluntatem; sinè quæ ei nec legitime servire poterit, nec placere. S. Zeno Veron. f. 2. de Nat. Dom.

Tria sunt homini necessaria ad salutem: scilicet scientia credendorum, scientia desiderandorum, & scientia operandorum. Primum docetur in Symbolo, secundum in oratione Dominica, tertium in Lege. Sancti Thom. Aquin. opusc. 14. c. 4.

Tu quis es? Breve thema; sed magnum pelagus. Utinam scires! utinam intelligeres! tu quis es? plus tibi prodesset, quàm scire omnes scientias Mundi, & omnes bibliothecas. Quid enim tibi prodest, scire motus cælorum, & influentias ætherum? virtutes herbarum, proprietates animalium; & ut totam naturam scias? & nescire teipsum. Ecce curam habes de domo, de hæreditate, de negotio, de familia; de mula, quam habes in stabulo; & te ipsum solum negligis? omnibus tuis das operam aliquam diei, & curæ; tibi nullam. Teipsum tam vilem æstimas, & sic parvi pendis; ut non digneris de te curam habere! O anima misera! quid extra te vagaris? effusa, & divisa, per Mundum; à te alienata, & exul. Sancti Thom. Vill. f. Dom. 3. Adv.

§. VIII.

Priori similis. Indaga, & scrutare, utilia.

Quæstui illum, & non inveni. Cant. 3. 1. Ut inveniret, egressa domo, circum plateas; sed muta semper: patiens, se perspicacissimis oculis, ubinam esset? exploraturam. At labor irritus fuit. Tandem incurrens in milites, quærit: *num, quem diligit anima mea, vidistis?* Magnum mysterium! ubi id percontata est; Christus se ei spectandum dedit: illa cum eo locuta, eum adoravit, amplexata est. *Paululum cum pertransissem eos.* Modò sic ratiocinor. Quis ad Christum inveniendum aptior, quàm ipsa Christi sponsa? Quis imperitior ad dignoscendam, ubi habitat Deus, quàm miles orotus, & mercenarius? Et tamen sponsa, nisi demississet se ad vigiles compellandos, aberrabat. Oliva t. 2. conc. 10.

Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt ei; & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Eccl. 2. 19.

Hæc dicit Dominus: state super vias; & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona; & ambulate in ea. Jerem. 6. 16.

Venerunt autem & Publicani, & dixerunt - Magister, quid faciemus? Luc. 3. 12. Non dixerunt, quid sciemus? sed *quid faciemus?* quia non auditores legis, justi sunt apud Deum, sed factores. Rom. 2. 13. Et scientia, sinè vitæ virtutum, obest magis, quàm prodest. Dion. Carthus. hic.

Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Luc. 10. 25. Non inutilis hæc questio. Utinam nostra colloquia eò tendant, ut scire possimus; quid requiratur, ut salvi fiamus. De impertinentibus quærimus: an Salomon salvus? quomodo opes cumulemus? Pauci Religiosos de sua salute interrogant, Stella hic.

Et interrogavit eum quidam princeps dicens: Magister bone: quid faciens vitam æternam possidebo? Luc. 18. 18.

Quid Deus facere possit, quid non possit? discutimus; & quid nos oporteat facere? non attendimus. Inutilibus disciplinis plenus est Mundus: quibus dum bona implicantur ingenii, necesse est, ut in necessariis, & utilibus, minus valeant. Motus cœli dinumeras; & motus tui cordis ignoras. Influentias ætherum discutis; & passionum tuarum influentias non discernis. S. Thom. Vill. f. 1. in Ascens. Dom.

§. IX.

Scientia sit practica: fac, quæ scis, bona &c.

Num. 1.

Symbole, & Similitudines.

Ujus obtutus est oculus &c. Num. 24. 3. Aliqui per oculum accipiunt intellectum practicum. Licet enim Balaam in prophetia apertum haberet oculum intellectus, speculativum ad cernendum futura; clausum tamen habebat oculum practicum, qui eum dirigeret ad recte agendum: erat enim homo impius, v. 4. *qui cecidit.* S. Gregor. hom. 9. in Ezech. cadens Balaam apertus habuit oculos: qui rectum, quod diceret, vidit; sed recte agere contempsit: cadens videlicet in perverso apertus habens oculos in sancta prædicatione. Corn. hic.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Pl. 118. 105. Ephrem. quid ais Propheta? lucerna nonne oculis lucet? nunquid pedes habent? quò igitur pacto omisissis oculis, visum pedibus attribuis? Sed bene ait: *lucerna pedibus &c.* nam pedes animæ, sunt intellectuales oculi. Tunc anima feliciter progreditur; quando lux oculorum ad pedes transit: parum enim prodest, multa videre, & scire; nisi ad eadem pedibus contendas. Did. Niss. Dom. Sexag. §. 2.

Omnes

Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Prov. 31. 21. Beda: Ecclesia, & anima fidelis, vestitur duplici veste: scilicet 1. doctrinâ, & virtute. 2. Sapientiâ, & patientiâ. 3. fide, & operibus. apud Cornelium hic.

Et manus hominis sub pennis eorum. Ezech. 18. Sub pennis manus habere dicuntur: quia operationem speculationi adjungunt. S. Greg. Naz. or. 1. in Julianum: fieri non potest; ut scientiâ sit particeps, qui vitam non sapienter instituit. Octavianus de Tuffo in Ecclesiastici e. 6. 33.

Cui non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans. 2. Petri 1. 9. Oculus scientiâ, manus operationem, designat. V. Beda hic.

Quantumcunque habeat homo alias scientias; nisi habeat virtutes, non habet vitam. Sicur, quantumcunque habeas stellas; nisi habeas solem in duodecim signis, nunquam habebis diem. S. Bonaventura l. 6. de virtutib. Card.

Struthio immundum erat animal in veteri lege. Levit. 11. 16. licet pulcherrimas habeat pennas: sed quæ ad capitis tantum ornamentum sint; non uti manibus adscribendum. Sic nec Deo placent illæ scientiæ, quæ solum mentem exornant; nec manus conducunt ad operandum. Tuffo in Eccl. c. 6. 33.

Annulus sine gemmâ. Lem: *Deest optimum.* Denotat scientiam sine virtute. Malenius in Symb.

Num. II.

Motiva.

Ex Veteri.

Beati immaculati in via-beati, qui scrutantur testimonia ejus. Pl. 118. 1. 2. Quam pulcher ordo! quam plenus doctrinæ, & gratiæ non prius, qui scrutantur testimonia ejus, dixit; sed prius, *beati immaculati in via.* Antè enim vita, quam doctrinâ, quaerenda est: vita enim bona, & sine doctrinâ, habet gratiam: doctrinâ sine vitâ integritatem non habet. S. Ambr. Octon. 1. hic.

Mitte illam, ut tecum sit, & tecum laboret. Sap. 9. 10. Hanc scientiam expetivit Salomon; ut in ea fieret laboriosus, & activus. Sim. Cassi. l. 13. c. 5.

Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. Sap. 13. 1. Qui enim Deum practicè nescit, hic verè sapiens est: verè magnus, & beatus; etiâ si cætera nesciat. Qui verò Deum practicè nescit, nihil scit; etiâ si cætera sciat. Cornelius in Sap. 9. 6.

Ule sciam, quid acceptum sit apud te. Sap. 9. 10. Sapientia in libris Sapientialibus præcipue practicam, seu Ethicam, significat: quæ docet nos sapienter, id est, justè, sanctèque vivere. Quæ proinde vocatur Sap. 10. *Scientia sanctorum.* Et Luc. 1. *prudentia iustorum.* Corn. hic.

Creavit illis scientiam spiritus. Eccl. 17. 6. Propriè & genuinè, scientia spiritus est, scientia rerum spiritualium: puta cognitio Dei, Angelorum, virtutum, gratiæ, gloriæ. Talis sci-

entia est fides, sapientia, Theologia, ac præsertim sacra Fidelium Ethica; quæ Spiritum hominis docet, dirigitque ad Dei cultum, & ad beatitudinem coelestem Cornelius hic.

Requiescet super eum-Spiritus scientiæ, & pietatis. Il. 11. 2. Utrumque conjunxit: quia unum sine altero captare non possumus. Pinna in Eccl. Ethol. 25.

Ego Dominus Deus tuus, docent te utilia. Il. 48. 17. Ob hoc autem docet; ut fiat, quod docetur. Non enim Theologia aliquem beatum facit; nisi reduccta fuerit in actum: nec enim Paulus summus Theologus, beatus factus est, quia scivit; sed quia fecit, quod scivit, & docuit. Sim. Cassi. l. 8. c. 18.

Convertimini unusquisque à via sua pessima, & bona facite studia vestra. Jer. 35. 15. q. d. sic in studiis multum proficietis. Pinna ibid.

Ex Novo.

At illi dixerunt: in Bethlehem Jude. Matth. 2. 5. Sacerdotes illi, qui dixerunt Herodi, ubi Christus natus est, erant apprimè docti; sed non iuverunt eum adoratum, neque cognoverunt. Simples, & illiterati, aliqui pastores eum adoraverunt: superbi verò, & docti, Hierosolymis manserunt, non visò Dei Filiò. Stella de contemptu &c. p. 1. c. 30.

Abcondisti hæc à sapientibus. Matth. 11. 25. Cur mysteria absconduntur sapientibus? Theophylactus hic. Deus, propter magnam misericordiam suam, non revelat aliquibus plura mysteria; ut ne magis puniantur. apud Sylveira hic. q. 5.

Accepti autem omnes timor. Luc. 7. 16. Si timor eos apprehendit, cur non mutaverunt vitam? cur non sunt ad meliora conversi? Cognitio, quam de Propheta perceperant, ipsorum est condemnatio: sicque fit; ut, qui novit, cum possit adhibere diligentiam per doctrinæ veritatem; & negligit; quòd ipse spernatur ab eo, quem novit. Sim. Cassi. l. 5. c. 12.

Et ipse princeps Synagoga erat. Luc. 8. 41. Jairus est, cujus filia infirmatur, & moritur; & *illuminatio* interpretatur; & officiò insignis, quia princeps in Synagoga erat. Ex quo timor incutitur: quòd neque lumen scientiæ, neque dignitas, sufficiunt ad tantam animæ infirmitatem, neque peccatorum prolapsus, declinandum. Virtute opus est, ut non peccemus; gratia facit, ut non deveniatur in mortem. Qui verè illuminatus erat, dicebat: *Dominus illuminatio mea.* Pl. 26. 1. Sim. Cassi. l. 5. 14.

Vadit ad illam, quæ perierat &c. Luc. 15. 4. Cur bonus Pastor quærit ovem, non autem Pater filium perditum? Resp. quia filius intellectu, & ratione, pollet, ovis verò insipiens animal. Deus sapientes & insipientes, salvat: à sapientibus tamen majorem diligentiam acquirit, quam in insipientibus supplet. Justis, & sapientibus, ait David: *querite Deum, & vivet anima vestra.* Pl. 68. 33. At de seipso ait: *erravi sicut ovis, quæ perivit.*

perijt; quare servum tuum. Pl. 118. 176. Sylveira hic q. 14.

Iesus fatigatus ex itinere. Joan. 4. 6. Christus longo itinere quærit Samaritanam. At Magdalena, ut cognovit, quod accubisset in domo Pharisei Luc. 7. 37. Samaritana plena erroribus; at Magdalena Deum noscebat. Sylveira in Luc. 15. q. 14.

Ego sum Pastor bonus; & cognosco oves meas, & cognoscunt me mea. Joan. 10. 14. S. Basiliius hom. 26. oves, inquit, mea vocem meam audiunt. Ecce quomodo cognoscatur Deus ex eo, quod præcepta illius audimus; ex eo, quod ea audientes opere implemus. Satis sit scire, Pastore esse bonum, animam suam posuisse pro ovibus. Terminus sit hic divinæ cognitionis. Quantus verò Deus sit, & quæ illius mensura, & qualis essentia: talia sciscitanti sunt periculosa ei, qui rogatur perplexa: talium remedium est silentium. Pinna Ethol. 25.

Surgens à cena. Joan. 13. 4. Surgite ad actionem, qui comeditis intelligentiæ panem. Frustrà est intelligentia sacrarum Scripturarum; quæ fidenter, & debite, reduci debent, & possunt; si non reducantur ad actum mentis, & corporis, aut alterius reliquo prædicationis. Sim. Cass. l. 13. c. 5.

Si hæc scitis beatieritis, si feceritis ea. Joan. 13. 17. ut scientia reducat omnino ad actum: quia non beatus, qui novit; sed qui, quod noverit, fecerit. Quia non dixit Salvator: beati eritis, si scitis; sed beati eritis, si feceritis. Hanc scientiam expetivit Salomon, ut in ea fieret laboriosus, atque activus. Inquit enim: mitte illam - ut mecum sit, & mecum labore. Sap. 9. 10. Id. ib.

Ex Patribus, & aliis.

Utile est, multa scire, & rectè vivere. Quod si utrumque non valemus; melius est, ut bene vivendi studium, quàm multa sciendi, sequamur. S. Isidorus Sententiar. l. 2. c. 1.

Tunc scientia magna est, & sibi utilis; si charitate humilietur, ut amplius crescat: temperatur enim à dilectione, ut non satis mera sit, & inebrietur scientem, ut se extollat. Sicut enim vinum non temperatum admixtione aquæ, mentem alienat; ita & scientia superbum facit; nisi fuerit temperata. S. Ambr. in 1. Cor. 8. 1.

Non sit mora in faciendo, quod intus sapitis intelligendo. Et ille beatissimus est, qui divinas Scripturas vertit in opera. S. Aug. f. 112. de temp. apud Cornelium in Proœmio in Evangelia.

Dum tempus habemus, obsecro, ut saltem id studij impendamus spiritualibus mercibus comparandis, quod alij in perituris collocant. S. Chrysost. t. 1. hom. 11. in Gen.

Nihil nobis proderit, implenda didicisse; nisi ea, quæ didicimus, studeamus implere. Sanct. Prosper Aqu. de virt. & vit. l. 3. cap. 27.

Non est vera scientia boni, nisi ad hoc cognoscatur, ut agatur. Id. in Pl. 118.

Multi prorsus multa facienda sciunt; pauci, quæ noverunt, consummare conantur. S. Laur. Just. f. in festo S. Bartholomæi.

O quanto utilius tibi esset, aurum scientiæ, & argentum eloquentiæ, non habere; quàm inde tibi idolum facere! Scientia sanctitatis, sinè intentione bonâ, quid aliud est, quàm imago sinè vitâ? Scientia sola sinè sanctitatis effectu, & bonitatis affectu, quid aliud est, quàm simulachrum vanum sinè motu, & sensu? Richardus à S. Viç. de erudit. hom. inter. l. 1. c. 38.

Multi quærunt scientiam, pauci verò conscientiam. S. Bernardus tr. de inter. domo.

Multi scire volunt, pauci autem facere; ut prius per studium boni operis mundetur conscientia. Primum discere, quid facias; postea quære, quid scias. Hugo à S. Viç. de duab. scholis.

Conscientia est cordis scientia: cor enim & se novit suâ scientiâ, & multa alia. Quando novit se, appellatur conscientia; quando præter se alia, nominatur scientia. Petrus Cell. lib. de consc.

Inutilis, imò noxia, scientia omnis, prudentiæque est, secreta à probitate morum. Lipsius Centur. 1. ep. 22.

§. X.

Scientiam junge amoris divino.

Osculetur me &c. Cant. 1. 1. Insinuat scientia Dei affectiva: nam Canticum canticorum ad scientiam spiritus elevat; quæ cognitionem, & amorem, comprehendit. Hebræum verbum *nasak*, non tantum osculari significat, sed etiam erudire. Interpres tamen dixit: *osculetur me*, quàm erudiat me: quia amans Deum non quærît solam scientiam, quæ inflat 1. Cor. 8. 1. sed charitatem, quæ edificat. Nec cupit erudiri, nisi ut vehementius possit amare. Et quam scientiam magis sitit, est scientia amoris. Sicut supremi Angeli, qui alios scientiâ, & charitate, superant, non denominantur *Cherubim* à plenitudine scientiæ; sed *Seraphim*, ab amore charitatis. S. Ambr. l. de Isaac, & anima c. 2. Osculetur nos Deus, quando cor nostrum spiritu divinæ cognitionis illuminat: id est, quando infundit supernaturale lumen, quod divina mysteria penetrat, veritates Fidei percipit, & affectum simul amoris. de Ponte hic Exh. 2. Petijt sponsa, sub metaphora osculi, adventum Filij Dei in carne: sub eadem etiam petit adventum Spiritus S. S. Bernardus f. 8. in Cant. Spiritus S. jure optimò Patris, & Filij, vocatur osculum, quò se invicem osculantur; & quasi signum illius æterni amoris, quò se invicem semper amant. Id. ib. Exh. 8. *Osculetur me.* Ebriane est? ebria prorsus. Et fortè tunc, cum ad ista prorupit, exierat de cella vinaria; quò se nimirum introducam postmodum gloriatur. S. Bernardus f. 7. in Cant.

Scientia inflat, 1. Cor. 8. Cum Apostolus dicit, scientiam inflare, illicò addit charitatem, quæ